

## SERMONUM LIBER PRIMUS

AD IACOBUM CHABRIELUM PATRITIUM VENETUM

S1\_01 v.1 Haec, quibus interdum dulcis affabar amicos,  
 2 carmina, sermonis sensus imitantia puri,  
 3 cui potius, postquam corpus coiere sub unum,  
 4 quam, Chabriele, tibi memori pro munere donem ?  
 5 Qui persaepe soles nostros exquirere lusus,  
 6 tamquam aliquid levibus possis educere nugis  
 7 quod levet affectam valido medicamine mentem,  
 8 siquando acceptis vitiorum exuritur intus  
 9 ignibus auxiliumque procul virtutis aberrat.  
 10 Nec tamen ut monitis egeas hoc perficis, ut te  
 11 nobilium doctis vatum sermonibus ornes,  
 12 sed quoniam cordi tibi sunt quae moribus apta.  
 13 Cui virtus placet, huic virtuti incumbere promptum est ;  
 14 cui vitium, vitio non abstinet et malus ultro  
 15 probrorum causas simul et fomenta requirit :  
 16 ut quod quis novit cupid exercere, nec ultra  
 17 consuetum tendit ; contra quod non agit, odit.  
 18 Assidue legis ipse, et habes quoque semper in ore  
 19 quae gravis, et vatum quandam doctissimus inter  
 20 ridentis socios prudens agitare solebat,  
 21 ut circum latitans praecordia luderet utque  
 22 detegeret siquid vitii foret, idque referret  
 23 in melius quodam civili more, nec illo,  
 24 quo plerique modo exagitant vitia ut maledictis  
 25 incessant nudis atque insectentur aperte.  
 26 Persius hunc morem, sed Aquinas crebrius, explet,  
 27 ut commissa palam referant et nomina prodant.  
 28 Ast ego cuncta levi risu condire laboreo,  
 29 dulcibus ut lateant quae suffunduntur amara,  
 30 et subsit teneris velut horrens spina rosetis :  
 31 non tamen ut satyram meditemur condere, non ut  
 32 cujusquam impuros studeamus carpere mores,  
 33 verum ut, dum curas hominum sic ludere tento,  
 34 me saltem, si non alios, componere discam,

35 et vitam imprimis insontem ducere curem,  
36 sollicitudinibus vacuam, plenamque modestae  
37 laetitiae, qua mentis onus quodcumque reponam.  
38 Hinc est quod fidibus numeros aptavimus olim,  
39 et dulci teneras cantu complevimus aures.  
40 Nunc vero integros, perrarum carmen, iambos,  
41 quos jam temporibus priscis vix unus et alter  
42 ediderat paucos (verbo gravis invidia absit)  
43 tentare haud vano conatu forsitan ausim.  
44 Hosce Tryphon frater leget optimus atque probabit,  
45 ut quandam lyricos non adspennatus habere  
46 scrutarique meos voluit conferreque summis  
47 vatibus his, quorum vestigia semper adorans  
48 prosequor aspicioque procul, contentus ut infra  
49 subsideam obtutuque haerens oblecter in uno.  
50 Ille per Aonii spatiabitur ardua collis  
51 culmina ; tu mecum secreta in valle subibis  
52 antra volens edera et musco vestita virenti.  
53 Hic nemus et liquidi norunt sua numina fontes,  
54 imaque nec puduit faciles invisere Musas.

AD BERTUTIUM LAMBERTUM PRIMATEM TARVISINUM  
HOMINES NON EUM, QUEM DEBERENT, FINEM QUAERERE

S1\_02 v.1 Saepe ego, Bertuti, compresso in pectore risu,  
2 mortales miro volvi per inania curas ;  
3 interdum, nequis vitio mihi vertere possit  
4 haud veritus siqua ingenio permittere curem,  
5 illuc immissis adeo delabor habenis,  
6 vix ut surgentes valeam cohibere cachinnos.  
7 Nam quotiens animo scrutor quo tendere nostrum est  
8 peneque diversum video spectantia signum  
9 omnia quae nobis aptantur spicula cornu,  
10 appetat totiens manifeste qui stupor intus  
11 humanas habeat mentis, quae tramite recto  
12 propositum nequeuntque sequi nec cernere finem.  
13 Principio insevit nobis natura perennes  
14 igniculos, quibus accensi conquirere rerum  
15 semina possemus nec non per lubrica firmos  
16 ferre pedes verique invento insistere calle.  
17 Hinc varie expulsis artes fulsere tenebris,  
18 quae regerent certum per iter mortalia corda.  
19 Namque aliae, quantum possit promittere sola  
20 cognitio, tanto contentae lumine praebent,  
21 se nobis comites, seu per concreta perenni  
22 materiae motuque obnoxia, sive per illud  
23 quod mens ex iis seducit fingitque remotum,  
24 seu per sensilibus vere semota tenendum  
25 est iter, et pura caelestes mente petendum.  
26 Ast aliae his etiam cognatae quid sumus ipsi  
27 et quod opus nobis proprium et qui denique finis  
28 expedient ducuntque pios verosque per actus  
29 humanum genus, ut semet virtutibus inde

30        ingenuisque domos curis et moribus urbes  
31        expleat, ac justis mortalia legibus aequet  
32        unde scatet plene liquidi fons purus honesti,  
33        ex quo quid nosse et quantum decet ac quibus uti  
34        conveniat quaeve elargiri quidque periclis  
35        sive labori est praebendum, qua parte decori  
36        danda opera, haurimus ; nec non ut candida nobis  
37        religio et cultus divini numinis insit,  
38        qua sine nil horum esse potest, nec profore quicquam.  
39        Quae cum sic habeant, quem nam de millibus unum  
40        invenias, qui tanta, ac non contraria curet ?  
41        Quem non praeципitem cunctarum inscitia rerum  
42        sic agit, ut nusquam titubet nulloque feratur  
43        errore ? At contra quis non ad parvula quaeque  
44        haeret et offendit minimis obstantia rimis ?  
45        Quis non alterius quae sunt, iis certat abuti,  
46        seu fas sive nefas ? Erga quis honesta benignus  
47        nunc opera inventus ? Quis inertis e pectore tristem  
48        segnitiem pellit ? Quis non vel turpia quaeque  
49        et facere et fari consuevit ? Denique cui non  
50        vana supersticio mentem suspendit inanem ?  
51        Quid, quod avarities et honorum insana cupido  
52        mortales adeo miseros exercet agitque  
53        per scelera et fraudes, per vim quoque perque ferinos  
54        et nocuos usus omnes, quo ducta furore  
55        non sibi, non aliis ullo sub tempore parcit ?  
56        O diras hominum pestes, et vulnera vitae !  
57        Nec me animus fallit, quam non haec posse probari  
58        in vulgus videantur ; ita tamen ipse teneto,  
59        nullam aequae ingenii sublimibus esse fugandam  
60        perniciem, quam quae misera sub pectoris ampli  
61        ambitione latet, sensim namque illud edendo  
62        dejicit atque animi cogit mox esse pusilli.  
63        Nec minus his fugiendus amor sceleratus habendi,  
64        quo nil sordidius, nihil et quod ad ima ruentis  
65        nos adigat magis, ex altoque exturbet honesto.  
66        Felices nimium mortales, cernere si se  
67        interius possent ! Neque enim per devia quoquam  
68        errarent, sed iter rectum certosque regressus  
69        instituant illuc, unde olim accedere terras  
70        posse datum est illis, et eodem posse reverti  
71        rursus pro meritis, ubi mens conversa superne,  
72        principio rerum summo proprioque propinquans,  
73        insinuet prorsus solam sine corpore soli  
74        felicique illic vita vacuaque laborum  
75        exemptaque libidinibus curisque fruatur.  
76        Hic erat ille animi risus spernentis aperte  
77        humana et sese occulte tollentis in altam,  
78        quam quaerit speratque, viam, qua semper anhelet  
79        inventa, donec placidae per munera pacis  
80        corporea exutus turbarum labe quiescat.  
81        Haec ego non ut iter, Bertuti, notius exstet  
82        id tibi, cum tu eadem per te sapiis omnia ; sed quo  
83        parvula significem vacuae conamina mentis  
84        utque, mea si forte aliquid prodesse virili  
85        jam valeo, tentem currenti subdere calcar.

LAURENTIO LAURETANO PATRITIO VENETO, VARIIS MODIS HUMANAS CURAS MINUI

S1\_03 v.1 Laurenti, Quod Nostra Legis Doctaque Frequenter  
2 scripta manu versas interque negotia nugis  
3 his levibus prono demittis pectore mentem,  
4 id facis ut, lautas epulas et oluscula ceneae  
5 commiscens uni, forsan fastidia tollas  
6 quae quandoque gulae certant praestringere gustum,  
7 aut forsan quod et ampla putes pendere minutis  
8 Scilicet, et parvis, velut aiunt, magna juvari.  
9 Vos etenim interdum proceres, cum publica cessant  
10 munera, migrantes alio disceditis urbe,  
11 posthabito vel opum vel honorum pondere ruri.  
12 Hic aut culta suae mandantur semina terrae,  
13 aut Cereris lectas fruges Bacchive liquorem  
14 ferre domum mitem juvat, aut per prata maniplis  
15 floridulis implere manus et tempora sertis  
16 vincire et Zephyri bene olentis ire sub auras,  
17 venarive palam quavis ratione modoque,  
18 aut choreis passim ludentem invisere pubem,  
19 agrestive etiam, si fas, incumbere amori ;  
20 nec minus et Nymphis operam dare ferreque crebros  
21 inter Amadryadas et Oreadas undique gressus  
22 et Musis adhibere animum, tum valle sub ima  
23 collibus aut altis meditari et ludere versus.  
24 Sed tamen interea rerum deponere curas  
25 non adeo promptum est, quas affert insita semper  
26 sensibus urbs imis, quin pars huic maxima mentis  
27 serviat et parvi subito tum caetera pendat.  
28 Verum haec ipsa vicem variantis cuncta medelae  
29 esse loco reputet facile is qui ludicra vatum,  
30 ut tu, forte legens gratum sibi vertat in usum,  
31 ingenui quamquam propria haec industria moris.  
32 Sic etiam dulci cantu consuevimus aures  
33 concentuque fidis suavi complere canorae  
34 signaque sic caelo affabre diducta peracri  
35 inspicere artificis digna cum laude solemus  
36 penniculoque litas docto spectare tabellas  
37 pergimus atque oculos miranda pascimus arte.  
38 Ac variis ultro illecebris sic denique capti,  
39 nunc has delicias sani nunc poscimus illas.  
40 Nimirum humanae sunt haec solacia vitae,  
41 quae dum continuo fluctu vexata laborum  
42 fertur, ad hunc fessam recipit se provida portum.

HORTATUR ANDREAM CASTRUM, UT INANES HOMINUM CURAS RIDEAT

S1\_04 v.1 Castre, meos inter pars non temnenda sodales,  
2 quem mihi constanti devinxit pectore sidus,  
3 sidus quod nobis aequalem temperat horam,

4        unde tenax semper dependet et una voluntas ;  
5        jam dudum cupio tecum ridere, quod ambos  
6        nos juvet, et nobis, si quicquam est utile, proosit.  
7        Estne quod exoptent homines magis atque beatam  
8        felicemque diu certatim ducere vitam ?  
9        Nil porro invenies, quaeras licet, et tamen istuc  
10      vivere quod cupimus, non umquam vivimus ipsum.  
11      Nam bene cui tantum est, ut, si tecum ipse parumper  
12      consideat, subito non sit tibi mille querelis  
13      aurem laturus, tamquam infeliciar omni  
14      tunc agat et nulla non conditione minor sit ?  
15      At si pauper erit, quamquam fortasse suamet  
16      culpa mendicat, fatis tamen imputat et se  
17      sideribus plane natum mentitur inquis.  
18      Pars autem, siquid paulum minimumque recedit  
19      a recta cursu, qua se prius ire parassent,  
20      protinus exclamat secum infeliciter actum.  
21      Est quem nulla diu delectent gaudia, nullae  
22      blandiciae, cuncta usque adeo fastidit, et illud  
23      quod cupiit jam, mox renuit stomachosus et odit.  
24      Sic omnis queritur tantumdem, ac dum dolet omne  
25      amittit, propter quod sic tristatur, et ipsam,  
26      cui tam semper hiat, festinat perdere vitam.  
27      Hinc ego disrumpor risu, quod vivere semper  
28      quaeramus, numquam interea comitante dolore  
29      vivere contingat, nisi tu fortasse vocaris  
30      id vitam, tristis quod circumpletebitur angor.  
31      Hic igitur risus meus arridere vicissim  
32      Te cupit atque graves animo deponere curas,  
33      ut placido mecum studeas defungier aevo  
34      quod superest tantum, permittens caetera divis,  
35      quo se cumque dabunt, quibus haec mortalia curae.

AD VALERIUM SUPERCHIUM PISAURENSEM  
IN EOS QUI SERMONUM VIM PARUM INSPECTANT

S1\_05    v.1    Sunt, Valeri, quibus hoc opus, ut tenue, illico cunctis  
2        spernendum doctis videatur, et ipse etiam, qui  
3        sermones humili affectem distinguere versu  
4        diductos facili puroque ex ore, nec ullam  
5        splendoris speciem quaerentes, donec aperte  
6        Extra depromat animus, quod concipit intra.  
7        Quis ego sic quamvis assentiar, ut mihi nullam  
8        hinc laudem studeam conquerirere, non tamen ab re  
9        nunc fuerit brevibus verbis fortasse referre  
10      quod domino quondam prudens cocus. Ille saporum  
11      per modulos omnis concinnam reddere cenam  
12      curarat, licet huic nulla haud nostratio inessent.  
13      Hic vero, tamquam fatua insint omnia, quaeque  
14      forte adspernabatur. Cui cocus : "Aut, here, non est  
15      nunc stomachus bene habens tibi, vel non haec sapiunt, quae  
16      externo monstri nullo condita sapore,  
17      grata valentibus esse solent, et profore sanis."  
18      Sunt igitur qui non aliud sibi prorsus adoptant

19 quam numerum ac strepitum verborum magna sonantum  
20 atque parum intro aspectant, nec qui sensus in illis  
21 claudatur, qualesve trahat, quibus haereat apte,  
22 attendunt, ut non aliena in corpore membra  
23 consistant, verum simplex videatur et unum  
24 quod loqueris nec non pure nitideque relatum.  
25 Atque ideo repens per humum sermo et bene cultus,  
26 cui gravis atque ferax morum sententia subsit,  
27 sordibus expleta tantis non aure probatur.  
28 At docti, quales et frater grandior et tu  
29 atque alii, quos nunc numero comprehendere non est,  
30 hunc admirantur quotiens expendere secum  
31 secreti tamquam divina poemata possunt.  
32 Et nos, siquid amor Musarum proficit, illuc  
33 parvi nonnumquam descendimus altaque supra  
34 spectantes ima tenues in valle vagamur.  
35 Quanquam, o si dudum, quod jam mens augurat, umquam  
36 advenient sperata meis alta otia votis,  
37 forsitan et sacri tentabimus ardua collis  
38 culmina secretum per iter, qua pergere paulo  
39 ante ausi, tantum progressi venimus, illic  
40 hos ut dictarim sub amici nomine versus :  
41 "Regia magnanimum proles invicta parentum,  
42 qui tibi nunc surgunt juvenili in pectore sensus  
43 quodve animo exagitas opus, et quae facta, perenni  
44 tempore quae vigeant, tecum meditaris et alto  
45 inquiris studio, nulli cessure priorum."  
46 Et reliqua his forsan non dissona quae, puto, nosti,  
47 et quae nunc, monitu Franchi, de vertice tanto  
48 rettulimus tumidi, nec enim sermonis erat res  
49 exigui, nec humi serpentis vallibus imis,  
50 cum primo affatur genitum de sanguine regum  
51 Hesperiae, sacro quem quandam e fonte levarat  
52 illic Romanae dum magna negotia sedis  
53 tractaret ; nuncque illi gratetur, quod abunde  
54 fulserit in nitidis praepes victoria pennis.

AD LEONARDUM PORTUM VICENTINUM  
RISUS VARIARUM CIRCA REM LITTERARIAM PRAESERTIM OPINIONUM

S1\_06 v.1 Hosce jocos quoniam de me tibi saepe requiris,  
2 nunc adeo vacuae mentis cum simus uterque  
3 experiar, Porti, si te contingere possit,  
4 qui quocumque feror, mihi se fert undique risus.  
5 Quisque suam primum tanti facit et putat artem,  
6 ut nihil alterius, seu quod sic callida nobis  
7 natura ingenuit, proprios ut quaeque facultas  
8 fautores habeat et se tueatur in illis,  
9 seu quod praecipue laudi damus illa quibus nos  
10 indulgere juvat, vel quae nos posse putamus.  
11 Unde aliis aliud studium, variisque tenetur  
12 afficiturque animus, propriisque incumbit in actis.  
13 Atque suo insistens operi, quo fungitur, auctor  
14 sedulus interdum sic se miratur ut infra

15 se positum quodcumque putet ducatque minoris.  
16 Quin et amicorum rebus capiuntur amici  
17 nonnumquam nimis, et quae jam fortasse reprendant  
18 in reliquis, illic tamen admittuntque probantque  
19 atque aliis alios, ut res, praeponere certant.  
20 Est etiam ingenitum multis, ut tempora prisca  
21 anteferant nostris semper laudentque quod absit  
22 longius et dudum memori se subtrahit aevo,  
23 tamquam nulla illis veniant laudanda priusquam  
24 innumera annorum series processerit ante.  
25 Haud equidem infitior quod sit veneranda vetustas  
26 semper et huic partes laudis deberier omnes.  
27 Sed miror quonam illa modo sibi cuncta pararit  
28 ut reliqui nobis nil fecerit atque volentes  
29 hac nos segnitie misera sic sparserit ut, dum  
30 magnorum similes fore desperamus avorum,  
31 nil etiam penitus nobis ducamus agendum.  
32 Sed tamen haec illi. At contra sunt et quoque qui se  
33 temporibus priscis aequent, abstrusa secuti  
34 nescio quae, quae jam, siqua obvia forte fuissent,  
35 intonsi horruerint veteres accedere tesqua.  
36 Atque ita per salebras omnes et iniqua locorum  
37 huc illuc lati offendunt, ut jam rear illis  
38 callosis cunctos pedibus subvertier unguies.  
39 Quid ? Quibus haud artes possunt satis esse priorum  
40 aut qui de rebus cunctis permulta loquuntur  
41 quive student aliis docti apparere tacendo  
42 et qui velle assuere et fastidire vicissim  
43 omnia nec gustu deduci prorsus ab uno :  
44 his igitur cum tu occurris saepissime monstris,  
45 nam raro haud credo, risus inhibere potes ne  
46 exsiluisse tibi toto de pectore certent ?  
47 Atqui ego ad hos pridem facilem te, me Hercule, novi,  
48 ex quo jecisti salsos in Castora lusus,  
49 Castora qui demens, dum respondere parasset,  
50 in se plura quidem, quam tu, contraria dixit.  
51 Ipse etenim, ut de me fatear, quod forsan habebit  
52 offensos quosdam, non possum ferre, nec intra  
53 cur teneam ac saltem labiis inspergere summis  
54 non valeam, video ; facilis quod me quoque risus,  
55 nec tamen effusi finxit natura cachinni.

#### AD IULIUM, SERVI PERRARI PROSOPOPEIA

S1\_07 v.1 Si vacat interdum per tanta negotia, Juli,  
2 quae geris exigui non nil audire parumper,  
3 hoc tenui sermone velim tibi pauca referre,  
4 utpote qui cupiam rationem reddere vitae  
5 exactae domino servus bonus atque futurae  
6 quod superest quonam studeam traducere pacto.  
7 Hic igitur placidam, quaeso, mihi commodet aurem  
8 quae nunc, quae semper tibi erit clementia cordi.  
9 Ex quo me puerum pater huc accedere jussit  
10 prudens ut tenerum primis formaret ab annis,

11 ex illo tantum teneor virtutis amore  
12 atque adeo illius presso vestigia passu  
13 insechor, officio nulla ut per tempora desim  
14 quin illi insistam semper, ne transfuga partes  
15 inferar adversas neu certa relinquere signa  
16 imperer, a recta paulum inclinare coactus.  
17 Hinc mihi perpetuus circum praecordia fervor,  
18 exiguae quamvis maneant, intendere vires  
19 semper avet, quibus ipse queam per condita rerum  
20 involucra expediens atque extricatus abire.  
21 Dulcibus hinc etiam Musis incumbere certa  
22 lege juvat, seu cum gravibus dissolvere curis  
23 pectus iners studeo, seu cum profundere mentem  
24 est opus illecebris et honesto inspergere ludo.  
25 Nec minus interea gratum est si, quantulacumque  
26 sedulitas nostra est, omni tibi tempore servit,  
27 si quoque et huic glebae jam nunc inducere semen  
28 instituo, unde mihi spes est non vana tuarum  
29 mox rerum similem cumulo desumere frugem.  
30 Hic mihi continuus vitae tenor, hunc mihi semper  
31 ipse Deus, quo me voluit consistere, servet.  
32 Nec mihi sit potior via quam quae tramite recto  
33 in tua, si quicquam declinem, jussa reducit,  
34 ne quod forte levi formicæ contigit olim  
35 arguar exemplo illius vitare nequisse.  
36 Haec igitur mores hominum mirata, quod uno  
37 saepe loco nequeant contenti degere, verum  
38 nunc has nunc illas mutare et quaerere sedes  
39 constituit secum peregre semel ire per orbem.  
40 Et jam nescio quot spatii prorepserat ulnas,  
41 cum caput ecce nitens detracta pelle caballi  
42 offendit spectatque admirans, moenia magnæ  
43 urbis ceu videat, circumque hinc fertur et illinc  
44 atque aditum quaerens tandem multa ingreditur vi.  
45 Nec momenta trahit brevis aevi cuncta pererrans  
46 indefessa, petit donec perplexa latebras,  
47 in quibus esse solet sedes non aequa cerebri.  
48 Tum vero laeta inquit : "Et est haec regia summi  
49 principis, et nullis habitatur gentibus, ergo  
50 nostra erit." Atque animum mox concipit et sibi jam tum  
51 dives et inventi regni regina videtur.  
52 Verum ubi nox illam admonuit potusque cibique,  
53 sperataeque simul sensit vacua omnia frugis,  
54 mane cavum repetens regalia munera ridet  
55 et se, tam fatue sibi quod tum credidit, odit.  
56 Haec adeo permulta valent ad commoda vitae,  
57 parvula sint quamvis, neque enim non ulla putandum  
58 auxilia interdum e tenui contingere posse.  
59 Extentos in casses Brutorum inciderat rex  
60 (non multis nunc te, brevis est fabella, morabor) :  
61 hunc forte intorto exiguis mus fune revinctum  
62 quadrupedem et toto porrectum invenit in antro,  
63 cuius opem implorat supplex leo, at ille capessit  
64 jussa lubens domini, prope adest et vincula rodit.  
65 Hic abit et grates, poterit siquando, referre  
66 pollicitus, parva vi magna pericula vitat.

67 Illuc nunc redeo, primus defluxerat unde  
68 jam sermo. Haud ullis opibus pervincere quisquam  
69 posset, uti longo durati tempore moris  
70 tantillum imminuam, primum ut non prosequar omni  
71 cura, opera, officio teque et tua jussa, sereno  
72 aspicias vultu modo me ; deinde optima siqua  
73 apparent, non usque velim pedibus manibusque,  
74 ut vetus est, et adire et complecti, ut mihi vires  
75 spirarit modicas natura atque auxerit usus.

HIERONYMO BONONIO POETAE TARVISINO

S1\_08 v.1 Quisque suum sequimur sidus fatale, Bononi,  
2 quo trahit, et nobis illud sic imperat ut vix  
3 effugiat quisquam mandata subire, licebit  
4 sit nulli penitus hominum parere necesse.  
5 Haec tibi doctorum sententia prisca virorum  
6 haereat : hac nulla est potior, nec sanctior ulla.  
7 Sic dum forte gravi et constanti ducimur astro,  
8 in duram morbi speciem devenimus ipsi.  
9 Ille etenim Maia genitus qui praestat ad usque  
10 doctrinas aditum quaerentibus et studiosis,  
11 haud satis ipse habilis, faveant cui cetera caeli  
12 sidera, destituit, quondam quos foverat, omnes.  
13 Hinc ego, qui Musis, ut parvae in carmina vires,  
14 incumbo et conor vulgi me demere turba,  
15 sideris haud valui sortem vitare malignam.  
16 Nec nobis, ut ais, studiorum grata meorum  
17 sedulitas nocuit, potuissest nam quid obesse  
18 quod facias certe moderanter quodque libenter ?  
19 Nec mirere, gravis si nos premit impetus astri,  
20 nanque vides mutata quidem nunc tempora rerum,  
21 atque eadem longe diversa prioribus. Unde  
22 tam cito, ni commota feri violentia Martis  
23 saeviat, atque atrox Saturni stella moretur  
24 quo Jovis et Veneris favor adsit, Mercuriusque  
25 haereat ipse malis, celeres et Luna meatus  
26 approparet saevam in rabiem, sed et ipsa recondat  
27 lumina Phoebus item, Phoebus, qui lumina praebet ?  
28 Nonne vides ut nunc omnes in bellica raptis  
29 festinent animis, modo qui sic munera pacis  
30 gaudebant tanta placidi tractare quiete ?  
31 Scilicet ille ferox vertit qui martius ardor  
32 omnia nunc cunctis caelestibus imperat, alta  
33 parte poli dominus residens et cuncta ministrans.  
34 Nec tamen haec tantum nobis caelestia credas  
35 ostendere, sed his multo graviora minari :  
36 exilium, tormenta, fames, incendia, pestes,  
37 diluvia exhaustusque maris, terraeque tremores,  
38 fulmina, terrores, tonitrus, fulgetra, cometas.  
39 Bella sed imprimis portendunt, horrida bella,  
40 quae fore jam posset quisquis praescire, quod atram  
41 principibus mentem videat bellare paratis.  
42 Ad quos pro se quisque preces intendere supplex

43 debeat ut tantis desistant, et mihi jam nunc  
44 carmine sublimis libet exclamare poetae :  
45 "Ne proceres, ne tanta animis assuescite bella."

## IOCUS

S1\_09 v.1 O qui me tanti voluere in luminis oras  
2 prodire et tenebris exemptos noctis opacae  
3 vitare obstantis scopulos, et ducere tandem  
4 fluctivagam in tutum maria alta per omnia cymbam,  
5 deinde per apricos late loca proxima campos  
6 ire, quibus verni spirant viridantibus aequa  
7 temperie Zephiri, quibus et cum floribus herbae  
8 non aestu, non vi concreta frigoris arent  
9 et nocuae absistunt volucres, nec lubricus ullis  
10 innatat anguis aquis, nec humi mala vipera serpit,  
11 nulla nec absistit fera, quae violenter aduncis  
12 unguibus ingluviem, rabidis aut dentibus explet ;  
13 plurima sed querulis avium concentibus arbos  
14 directa in numerum resonat, nemorique canora  
15 umbrifero et vitreis respondet fontibus Echo ?  
16 Hinc calathos replet fruticis Pomona beati  
17 fetibus inque sinus florum dea veste reducta  
18 texit odoratis residens violaria sertis,  
19 quas inter fecunda Ceres spatiantur et illi  
20 ruralis pleno colludit copia cornu.  
21 Tum lento Charites videas incedere passu  
22 permixtas Nymphis varie ludentibus ampla  
23 planicie, at Satyros illis intendere passim  
24 insidias, contra Satyris illudere Nymphas.  
25 Interea volitans circumque supraque Cupido  
26 intendit solidum cornu exhaustique pharetram.  
27 Lusibus alma parens illi comitata jocisque  
28 respondet paribus curis seque inserit ultro.  
29 Exercet viridi choreas in gramine Bacchus  
30 ambrosio intonsos perfusus odore capillos,  
31 pampinea insertis ornatus fronde corymbis  
32 exsultatque hilaris genius gestuque soluto  
33 invitat resides animos. Tum pocula fessis  
34 Lemnius exporgens large deus ipse ministrat  
35 et facie informi risus et dispare gressu  
36 commovet, haud renuens ludenti parcere turbae.  
37 At multo imprimis senior prolatus Iaccho  
38 Silenus somnoque oculos subeunte gravatus,  
39 forte ut erat pando recubans summotus asello  
40 labitur. Hunc Faunique et monticolae Satyrisci  
41 circumstant fremitu ingenti, pars tollere prona  
42 instat humo fusus viridi, pars tempora circum  
43 exanima infundunt refoventis corpora rores.  
44 Accurrunt veste undanti passisque capillis  
45 Naides in risum effusae Dryadesque puellae.  
46 Hi super impositum dorso capitique sub antrum  
47 sublimem fessi referunt, ubi diva Voluptas  
48 praesidet umbroso sub amoeni culmine collis.

AD LAURENTIUM ABSTEMIUM,  
CUI SERMONES SUOS COMMENDAT, QUOS EIUS HORTATU EDIDERIT

S1\_10 v.1 Siquid, Laurenti, est quod quos haud vidimus umquam  
2 cogat amare, hoc est imprimis splendida virtus,  
3 est deinde absentes si nos sentimus amari.  
4 Verum ut te observem virtus an amor faciat quo  
5 me sic absentem dudum complecteris absens,  
6 in dubium merito quisquam revocaverit, ut qui  
7 utrorunque pari perpendat pondera lance.  
8 Non tibi postremus datus est locus inter honestos  
9 et nostri doctos aevi, sed proximus aequas  
10 qui frustra studiis alios praecurrere certant :  
11 hoc habet ut justo te prosequar aequus honore.  
12 Sed quod nos et nostra tuo dignaris amore,  
13 mutuus hunc contra affectus debere fatetur  
14 se meus, atque pari gratae par gratia menti.  
15 Nam quod epistolio suavi me hortaris ut edam  
16 carmina quis olim dulcis affabar amicos,  
17 Hoc amor, haud res ipsa, facilit, qui plurima celat  
18 nec sentit sparsos in amato corpore naevos.  
19 Nam quid habere potest simplex in carmine risus  
20 quod lector prudens simul et doctissimus optet ?  
21 Lusi equidem, fateor, Musasque sub haec quoque vidi  
22 nobilis ima jugi lento procedere passu ;  
23 vidi ipse audens, nec facile ipsa haec tenuia lusi,  
24 in tenui quamquam labor una et gloria certet.  
25 Quae quoniam cupide sic exspectare videris,  
26 permittam, velut e nido quandoque relicita  
27 matre leves pulli exsiliunt temereque feruntur,  
28 nostra tuo ut monitu genitorem pignora linquunt.  
29 Tu commissa tuae fidei quocumque vagari  
30 ne sinito, inque plagas ne tendant illa caveto.  
31 His etenim, ut mos est hominum, tenduntur ubique  
32 retia, vitali fruitur donec pater aura  
33 praesertim, nam quod vivat pater officit illis.  
34 Sunt tamen egregii moris, qui pondera rerum  
35 expendunt nec nuncne supersit, sitve quis auctor,  
36 tunc animo advertunt, filo cum ducier uno  
37 cuncta vident, uno pendere et pergere ductu,  
38 judicio quibus acri et recto praedita mens est.  
39 Hos opus, haud auctor movet aut millesimus annus.  
40 Sed veluti si quis tabulae pictoris inhaeret  
41 obtutu primo ignoti, quia picta placent, mox  
42 nomen laudandi artificis patriamque requirit  
43 ut magni faciat cuius spectaverit et rem,  
44 sic et prudentes doctique aliena tuentur  
45 ut sua collaudantque faventque quibusque, nec ante  
46 inquirunt cuius, quam lecta frequenter honestent  
47 laude palam merita, si laude haec digna putentur ;  
48 auctorique diu vitam, quo plurima ludat,  
49 exoptant, illique simul gratantur et aevo  
50 sub quo contigerit nascenti adolere poetae.

51 Quales ipse quidem, si fas, veneratus adoro  
52 in terris, qui sacra ferunt nitidissima divis  
53 Aoniis inter Nymphas, et numina summi  
54 verticis unde latex per gramina dulcis Hymetti  
55 diffliuit et fulvo flavescit purior auro.

## SERMONUM LIBER SECUNDUS

### AD NICOLAUM FRANCHUM PONTIFICEM TARVISINUM

S2\_01 v.1 Florentis quondam memores dulcisque juventae  
2 lusimus, et teneris non nil permisimus annis  
3 sive elegis seu mox lyricis, numerisque modisque  
4 disparibus votum mentis mihi Musa reclusit.  
5 Et poteram et certe nunc tandem, Franche, quiessem,  
6 ni tua me cum saepe alias, tum commoda nuper  
7 gratia summosset residem vel nempe vacantem  
8 diversis multo studiis, dum reddere grates  
9 ipse tibi quantum valeam contendere conor.  
10 Ac neque grata magis mihi nec jocundior ulla  
11 res fuerit, quam si videar te digna locutus  
12 et gravibus tantas pertingere vocibus aures.  
13 Sed quis erit modus ? Aut ubi nam consistere primum  
14 Mens queat ? An quo jam soliti decurrere campo  
15 pertritoque pedem et vulgato calle feremus ?  
16 Anne illud potius quod amat maturior aetas  
17 et tua piae se fert toto reverentia vultu,  
18 illud erit nobis iter, ut per devia longe  
19 multum errans seseque inter variabile vulgus  
20 linquentes nos et recta et vix cognita paucis  
21 semita perducat, quae se iis angustior offert ?  
22 Pierides, vos hunc, neque enim nescitis ut altum  
23 tendit iter, brevibus spatiis ostendite calle  
24 et date scandenti facilem per iniqua laborem.  
25 Difficilis quondam fuerat nec acumine parvo  
26 quaestio prudentis inter variata priores,  
27 ecquis erat rerum propria sub imagine finis  
28 quaerendus nobis, an num foret usque vagandum.  
29 Inventae huic gravior succedens altera suasit  
30 quemque sibi ut sua dictaret ferretque libido,  
31 et facere et servare modum finemque bonorum.  
32 Namque, ut constiterat semel hunc unum esse neque ultra  
33 tendendum at contra simul huc humana referri  
34 omnia, tum varie quaesitum quid foret illud  
35 quo se dirigerent homines et cuncta referrent.

36 Hinc aliis aliud visum diversa secutis,  
37 ut virtus, ut honos, ut opes, ut serva voluptas.  
38 Haec ego dum graviter mecum pro parte virili  
39 exagito intereaque hominum praenosse necesse est  
40 officia, occurris tum tu mihi quantus in illis  
41 visus es atque etiam appares, cum publica tractas  
42 et privata pari virtute negotia cumque  
43 in magnis parvisque unus videaris et idem.  
44 Atque haec cum veluti divina mente profecta  
45 eveniant, quodcumque tibi semel ore vel alto  
46 pectore consilium exciderit, tum protinus illud,  
47 quis opus est, cepere boni sanctumque tuentur.  
48 Hinc adeo quod saepe tibi quam plurima Summi  
49 injunxere Patres quae mox effecta dedisti  
50 omnia diversi non unis partibus orbis.  
51 Externos etiam hinc reges cum missus adires  
52 multaque cum faceres his grata et magna referres,  
53 perficis ut miro te complectantur amore,  
54 quem durasse velint et ad haec quoque tempora servent.  
55 Hinc quoque quod magno sacrorum munere functus  
56 ad Venetos proceres, nulli quod contigit ante,  
57 septenos illic totos impleveris annos.  
58 Quin tuus hinc populus, moliri publica postquam  
59 desisti et proprius jam pastor ovilia servas,  
60 non speculatorum custodemve invidet ulli  
61 et te, si fas in terris, ut numen adorat.  
62 Ipse etiam, nam parva solent adsistere magnis,  
63 pone sequens atque haec tranquilla mente volutans,  
64 quod possum, ad Musas aditus et carmina tento,  
65 ut tua me, dum fata sinunt, benefacta canentem  
66 audiat et praesens nec postera nesciat aetas.  
67 Haud secus egregii vates habuere benignis  
68 principibus meritas grates et digna tulerunt  
69 praemia, nec poterant iis quicquam reddere majus  
70 quam laudem aeternumque manens in secula nomen.

AD IOANNEM ANTONIUM SCHOLAM FRANCHI PONTIFICIS NEPOTEM  
EXHORTATIO AD VIRTUTEM

S2\_02 v.1 Cur, Schola, radicem perhibent virtutis amaram  
2 esse, sed illius mira dulcedine plenos  
3 latius effusa pendere ex arbore fructus ?  
4 An, cum sola queat facere et servare beatos,  
5 haec eadem voluit prae se quoque ferre labores ?  
6 An vero in culpa est animus, qui, mollis et aeger,  
7 expertem morbi causatur et improbus ipsam  
8 virtutem vitio, cogente libidine, miscet ?  
9 Namque capescenda nihil in virtute laboris  
10 usquam erit, ardentि tibi si generosa voluntas  
11 affuerit, quae dura valet mollescere, nedum  
12 suavia complecti studioso pectore possit.  
13 Principiis si forte tibi gravis illa videtur,  
14 haud ita credideris vere, sed sensibus intus  
15 corruptis aliam tunc apparere, nec illa

16 indutam specie, qua debuit esse, videri.  
17 Ac veluti affectis, quamquam sint dulcia gustu  
18 apposita, ingratus sensus deludit amaror,  
19 sic quibus ulcus inest animo, quod dira cupido  
20 fecerit, ii nequeunt oppressae mentis acumen  
21 exerere, ut norint quantum disjuncta labore  
22 aeternum socia coeat virtute voluptas.  
23 Tu genus hoc hominum, mala ne contagia serpent,  
24 evitato prius quam duci robore firmo  
25 incipias et adhuc tenerae sunt pectore vires.  
26 Namque exempla tibi ne sint aliunde petita,  
27 ipse domi quae imiteris habes, seu ducere vitam  
28 doctrinae juvat in studiis, seu rebus agendis  
29 exercere velis famamque extendere factis.  
30 Hinc avus, hinc praesto sit avunculus et tibi calcar  
31 currenti adjiciant : ille ut suspendat in altum  
32 egregie mentem nosti, si quando per ignes  
33 accensam aethereos caelesti lumine replet ;  
34 hic vero ut latis humeris ingentia rerum  
35 pondera sustineat, quotiens est jussus obire  
36 munera, quae nulli melius mandaverit umquam  
37 Pontificis Summi majestas, nec quibus alter  
38 assuetus plura diverso gesserit orbe.  
39 Hi tibi ductores igitur sub lumine tanto  
40 praecipuum callem ostentent, quo pergere tutus  
41 arboris ad summum atque, acri radice relicta,  
42 virtutis valeas dulcis contingere fructus !

AD NICOLAUM FRANCHUM

UT POST MULTOS LABORES QUIETI TANDEM SE DEDAT, HORTATIO

S2\_03 v.1 Est operae pretium, cum primum e litore funem  
2 solverit et sese dederit moderator in altum,  
3 ut minimo quocumque etiam in discrimine curae  
4 omnia sint illi, salvum si seque suosque  
5 esse velit valida cum tempestate feretur.  
6 Sic cui contigerint rerum moderamina, nullo  
7 namque minore quidem in fluctu jactabitur, omnem  
8 vim teneat simul et rationem, Franche, necesse est,  
9 qua consurgentis valeat superare procellas.  
10 Hinc solitos reges nosti conquirere toto  
11 ex numero egregios virtute et moribus aptos,  
12 qui sibi consiliis praesto prudentibus adsint.  
13 Quid maris in tanto grandi sub pondere pressam  
14 naviculam Summi Patris exercere putandum ? Et  
15 quam vario curarum illum sub fasce teneri  
16 cum tu, quem cymbae tua te prudentia fecit  
17 hujus ut interdum posses tractare rudentes,  
18 et vastum extento pelagus decurrere linteo,  
19 tot nunc sustineas et tanta negocia, quorum  
20 majus onus super inducis quam ferre tuis est  
21 par humeris, qui multa diu tam magna tulerunt ?  
22 Nec subit interea quam vanum e marmore litus

23 spectare, ut tuto valeas te condere portu,  
24 ni semel incipias illuc torquere carinam.  
25 Quod si forte roges ubinam locus ille quietis :  
26 "Montibus his", possim tibi respondere tuismet  
27 innixus verbis, et re quoque, namque salubri  
28 temperie caeli praestant, ut qui pote nunc te  
29 tam cito reddiderint sanum recteque valentem.  
30 Suppetit hic etiam cunctarum copia rerum.  
31 Est et amoenus ager secessibus undique septus,  
32 mens ubi turbarum cumulum deponere possit.  
33 Non tamen hic, quamvis tot rerum est praeditus usu,  
34 excutiet solitas aegro de pectore curas  
35 est animus nisi compositus, qui se quoque dignum  
36 ipse loco faciat, qui clavum dirigat, et qui  
37 haec subeat sospes plenis semel hostia velis.

TRIPHONI CHABRIELO PATRICIO VENETO,  
QUICUM EA RIDET, QUAE VULGUS ADMIRATUR

S2\_04 v.1 Hic tuus huc aditus fuerat mihi carior auro,  
2 care Triphon, abitus vero est insuavis, et ipsa  
3 non aloe nec felle minus inamabilis, ut qui  
4 a nobis tacitus discesseris atque repente ;  
5 nec triduum totum, ut soliti, conviximus una,  
6 forte domi utrique pluviis nivibusque retenti.  
7 Sed quoniam sic ipse tulit casus, tibi nunc quae  
8 coepimus expediam sermone hoc, non sine risu,  
9 qui sapit interdum rebus cum spargitur apte.  
10 Si quae magna vocant, et quae clamoribus explent  
11 grandibus, inspectes, paulo differre videbis  
12 a minimis, et ab iis quae jam puerilibus annis  
13 egerunt curis levioribus atque jocosis,  
14 omnia cum facerent commoti sensibus aequa  
15 ut dominis, et nunc etiam impellantibus iisdem  
16 haec majora gerant, sed solis non tamen iisdem,  
17 quippe quibus male mens accessit prava sororum  
18 agmen agens trepidum secum fraudum ambitionumque  
19 inter avaritiae sordes et taedia luxus.  
20 Ac ne te multum morer aut te longius ire  
21 permittam, scis ipse quidem, quod ubique patescit,  
22 interdum quam vana fides mortalibus obstet  
23 optata ne pace diu fortasse fruantur.  
24 "Nunc ictum est coeuntque simul, nunc gaudia toto  
25 Magna foro ! " Ride. "Nunc vicimus, omnia" ride  
26 "prospera erunt". Sed enim non longum tempus et ipsi,  
27 nunc socii, mox adversis stant partibus : eia,  
28 in fraudes iterumque iterumque in falsa recurrent  
29 foedera momentis brevibus, ridere nec optes ?  
30 Ludentis pueros modo si differre solutis  
31 lusibus, unanimis modo consentire viderem,  
32 quae leviora darent mihi tum spectacula ? Vel quis  
33 Major abundaret labiis de pectore risus ?  
34 Idem etiam miranda putant et maxima rerum  
35 proelia tumque duces primores esse virorum.

36 Ast ego sic reputans opera esse immania bella  
37 improbo, ni proceres melioris gratia pacis  
38 moverit armaritque bonos defensio justi.  
39 Pacis amant nam sacra boni, quibus ipsa benigne  
40 natura ingenuit mitem sub pectore sensum.  
41 Hos aut ipsa parens rebus praefecit agendis  
42 justos, prudentis et fortes atque modestos,  
43 quorum plena bonis vita est, et plena laborum ;  
44 aut statuit similes caelestibus, et sapientes  
45 edocuit rerum causas et praebuit illis  
46 aurea felicem duxisse per otia vitam.

ALOVISIO ALEOTO CANONICO TARVISINO,  
QUEM UT RUS SE CONFERAT HORTATUR

S2\_05 v.1 Ver redit, et mare nos adiens transmittit hirundo ;  
2 tu tamen urbis adhuc, Aleote, negotia curas  
3 nec venit in mentem Pansacci gratia collis,  
4 ut se vere novo passim pulcherrima profert,  
5 quo te multiplici gestit conscendere cultu.  
6 Urbe tibi atque tuis et amicis plurima tractas,  
7 posthabeas tua amicorum velut omnia rebus,  
8 grande quidem munus, quod te vulgo excipit unum,  
9 et te, dum terris agitas, caelestibus addit.  
10 Rure alis et refoves valido cum corpore mentem,  
11 apta quies facilisque labos cum temperet illis.  
12 Cuncta hic laeta die, sunt grata hic omnia nocte,  
13 cum defessa levi requierint membra labore.  
14 Parva cavo, dum saevit hyems, formica sub arto  
15 consumit, quam tota aestate paraverat, escam.  
16 Mox eadem e latebris, terras cum Sirius urit,  
17 exsilit et densum sub divo mobilis agmen  
18 explicat atque suum properat sibi quaeque laborem  
19 sedula persistensque operi. Sic forte sub iisdem  
20 temporibus nobis ruri vel in urbe morandum ;  
21 sunt hominum divisa etenim sua tempora vitae,  
22 si non haec eadem pravus praeverteret usus.

AD RISUM ITERUM CASTRUM,  
QUICUM ALTERO SERMONE HUMANAS CURAS RISERAT, INVITAT

S2\_06 v.1 Castre, iterum tecum, nam tu nec temnere nostros  
2 jam pridem et tales consuesti quaerere risus,  
3 tecum aveo rursus non nil ridere, quod ultiro  
4 sese offert dignum nostro propriumque cachinno ;  
5 hic igitur, si quando tibi mens ipsa jocosis  
6 apta fuit rebus, si quando admittier intra  
7 ridiculos voluisti, alias dum tangere risu  
8 posses, hic facilem da te mihi sic, ut et ipse  
9 dum rides, turba venias derisus ab omni.  
10 Quae bona sunt, quae non, vulgus nescire fatetur,  
11 interdum quotiens illi non ulla libido,

12 quod raro est, menti tenebras offuderit altas ;  
13 interdum vero semet miratur in illis  
14 noscendis nec se melius discrimina habere  
15 horum aliquem credit, quorum praexcepta sub alta  
16 pulpita densum humeris et hianti percipit ore.  
17 Quale videbamus nuper, dum sancta frequentant  
18 munera quis altum struerent pietatis acervum,  
19 mane frequens mixtumque viris tenerisque puellis  
20 et senibus puerisque, quibus fuit anxia cura  
21 ante locum capere mediis quem sorte sub umbris  
22 optassent, vel jam prima sub nocte parassent,  
23 ut prope stipati arrectique propinquius aurem  
24 hinc percepta domum senis almi dicta referrent !  
25 Hunc ergo et similes populus cum audiverit apte,  
26 facturumne putas aliquid quod jusserit horum  
27 unus, sit quamvis vere sapientior illo  
28 qui quondam e terris sublimis ad aethera raptus  
29 proximius superos et caelum vidi apertum ?  
30 Haud quaquam id credas, nam cum discessit, ibidem  
31 praexcepta et leges jussas moresque relinquit  
32 protinus, et retro sua per vestigia fertur.  
33 Aut etenim vanos iterum perquirit honores,  
34 aut ipsum aggreditur rursus male sana voluptas,  
35 aut si sordidior paulo est, quod saepius illi  
36 contingit, durae per mille pericula mortis  
37 currit ad immodicos quaestus parvumque lucellum.  
38 Singula ne memorem, tot ducitur improbus inde,  
39 perdita quot miseris turbantur pectora curis.  
40 Nimirum prorsus aliud sentitque probatque  
41 esse bonum, quam quod totiens audiverit et quod  
42 extollunt meritis in caelum laudibus omnes  
43 dogmata qui veris sanctissima vocibus ornant.  
44 Dicit enim imprimis venerandum quod sua cuique  
45 suadet inops animo molli dictatque cupidio.  
46 Nec magis exoptat aliud quam quo caret et quo  
47 indiget, id finem solum putat esse bonorum.  
48 Hinc aliquos videoas (quis non haec riserit ? ) ire  
49 praecipites tamquam catulis mordacibus actos ;  
50 inde alios contra, tardae testudinis aegro  
51 more modoque, gradu metitos omnia certo  
52 pergere et emensos numero comprehendere gressus.  
53 Hos inter, medios quosdam, quos sic modo lento  
54 nunc sic praepropertos momento temporis uno  
55 invenias, sic se diversos prorsus agentes,  
56 paene ut dissimiles, nec eosdem dixeris esse.  
57 Nec sese in pluris species praebere videndum  
58 id reputes animal, solitum quod quenque referre  
59 quem subter dederit dorso attigeritve colorem,  
60 quam varie cupiunt illi quae non cupienda.  
61 Quid ? Quos exagitat tristis metus et sibi semper  
62 conscientia mens quanto spargi pallore videntur !  
63 Ut non illa quidem tantum livere putarim  
64 quae simulacra modis referunt pallentia miris  
65 nocte intempesta fieri mortalibus aegris  
66 obvia, quos lemures et larvas dicere et horcos  
67 humano placuit vano miseroque timori.

68 Nonne tibi effusi penitus de pectore risus  
69 proveniunt cum saepe leves obrepere causas  
70 mox animo cernas quorumdam, qui sibi regum  
71 de nihilo vel opes, regna et sublimia fingunt,  
72 atque ideo elati supra quam dicere promptum  
73 incedunt fatuaeque solent gestire per omnes  
74 laetitiae numeros, ut inani concita flatu  
75 concepto interius fertur pila quae juvenili  
76 impulsu plateas et compita saltibus implet ?  
77 Quo me, quo rapitis tristes, quos usque dolori  
78 haerentes semper viliis querimonia turpat ?  
79 Quantos saepe mihi risus movisse putatis  
80 post fractas voces turpisque ex ore querelas,  
81 hos etiam vestros nigra caligine vultus  
82 inspersos ? Minima de re fortassis, ea vel  
83 maxima quae vobis veniat licet, attamen illi  
84 in promptu non est succurrere, vel sibi nullam  
85 admittit, qua possit, opem, defecta levari.  
86 Quid, non audistis sapientem dicere numquam  
87 tale in se cadere ? Scio vos haec saepius et nil  
88 ex illis vobis fieri. Quare mihi risus  
89 duplicat hic merito. Tu dulcis promptius ergo,  
90 Castre, mihi arride ! Multumque insana putato  
91 haec opera et quicquid vulgus sapit effuge sanus,  
92 neu nimium quicquam cupias metuasve, nec ipsa  
93 gaudia sectoris nimis et super omnia tristis  
94 amoveas curas, quae, quamvis cetera possint  
95 in sapiente ullo nequeunt consistere pacto.  
96 Nec tu materiam ridendi praebueris te,  
97 qui solitus reliquos salibus conspargere honestis.  
98 His ego te affari et tecum quoque ludere amice  
99 nunc volui, et multis aliis ridere parabam  
100 sed novus et vere risus praevertit, ut ipse  
101 vix me contineam quin summa in gaudia ducar  
102 laetitiamque feram prae me fortasse severis  
103 et gravibus nimiam. Sed quis laetarier ullum  
104 tam veris solidisque bonis permittere nolit ?  
105 Ne vero lateant te quae mihi prospera nuper  
106 contigerint valeamque meis componere rebus  
107 participem, rursus pauca haec te in verba morabor.  
108 Novisti quem sors mihi amicum praestitit, uno  
109 hoc forsan felix, cum sit contraria saepe  
110 in reliquis et nos variis jactarit iniquis.  
111 Hunc igitur modo, dum magnis de rebus ad urbem  
112 itque reditque etiam in Venetos, formidine multa  
113 plena valetudo invasit, qua pluribus ille  
114 nocte die graviter vexatus, vincere tandem  
115 vim saevam morbi valuit, diis gratia, nuncque  
116 ut solet aggreditur jam grandia munera summis  
117 viribus et Summo varium atque fidele ministrat  
118 Pontifici officium, quod non tractaverit alter  
119 e re christicolis melius. Nam, praeter honestam  
120 et multam quae illi manet experientia rerum  
121 ingeniumque potens, nihil huic sine numine divum  
122 arbitreris agi, tantum virtutibus aequam  
123 ipse adhibet mentem, tantum ludibria vulgi,

124 religione patrum servata puriter, odit.  
125 Quin et ad hunc ipsum risum quandoque vocari  
126 jure queat, tales nobis qui condere lusus  
127 praestitit atque alios graviores, quos puto, ut ille  
128 adveniet, dabit unde alios superaddere possim.  
129 Hunc ut mi in columem servent et tu quoque mecum  
130 orato superos, neque enim concedere quicquam  
131 nunc illos cupio nobis et reddere majus.  
132 Nec minus interea mecum tamen aspera saevae,  
133 quam dicunt regnare, feras conamina divae ;  
134 et quotiens sese contra dabit, obvius illi  
135 fortunam supera virtute et fortibus ausis.

AD IOHANNEM ANTONIUM SCHOLAM  
CUM EIDEM VARIA AMORUM GENERA DECLARAVERIT,  
AD ID, QUOD PRAESTANTISSIMUM EST, ADHORTATIO

S2\_07 v.1 "Quo feror ? Unde abii ? Quae me malesana cupido  
2 immutat miserum ? Cur non eadem mihi cordi  
3 quae nimis atque diu tantum modo grata fuerunt ?  
4 Cur quod displicuit dudum, nunc omnibus oro  
5 suppliciis superos ut idem concedere nobis  
6 dignentur, votisque omnes veneratus ad aras  
7 procumbo et solum hoc duro cum corde volutans  
8 imprecor ut votis cedant contraria vota ?  
9 Ah fatuum sperare diu mortalibus ullum  
10 incolume ! Ah quid misero mihi tale timerem,  
11 cui promissa fides et tot servata per annos  
12 tam cito fortunae fuerit resoluta veneno  
13 concideritque brevis momento protinus horae ? "  
14 Haec ego praeteriens, Antoni, verba querentem  
15 audivi juvenem, memori quae mente notavi,  
16 et mecum illius sortem miseratus iniquam  
17 accessi et proprius, quod erat mihi forte sodalis,  
18 percunctor tanti quae nam sit causa doloris.  
19 Ille autem neque ad haec mihi respondere neque ullas  
20 tum consolantis voces demittere ad aures,  
21 immodicam sed vim lacrimarum effundere, meque  
22 inspicere, amplectique amens, donec prece victus  
23 tandem, vix posito fletu, sic hiscere coepit :  
24 "Heu, duram alterius sortem ne quaere doceri,  
25 ullo quae nunquam valeat mollescere pacto  
26 et nihil infidum credas magis esse neque atrox,  
27 quam muliebris amans animus, si forte parumper  
28 intentumque prius solidumque remittat amorem".  
29 Haec tantum ; et rursus lacrimis complexus obortis  
30 discedens ultro miserantem me ille reliquit.  
31 Quo nunc attonitus facto, vix credere possum  
32 ullam adeo ingratae mentis, quae fallere tantum  
33 nedum permittat, sed dedignetur amantem.  
34 Ecquis tam patiens, namque omnia scimus, amavit  
35 tamve diu tantos potuit perferre labores ?  
36 Quis coluit dominam numeris potioribus et quis,  
37 pressius ut dicam, plura illo dixit in usum,

38 aut fecit cuiquam ? Sed enim sic cuncta vicissim  
39 orbe rotant et praecipue vertuntur amores.  
40 Quare quo tenera est aetas magis haec tua, tanto  
41 est mihi par super his te per nonnulla morari,  
42 quae tibi nunc prosint et forte salubrius olim  
43 adsint, cum veniet eadem maturior annis.  
44 Principio mollem quamdam mortalibus aegris  
45 natura indulxit curam, quod amare vocatur,  
46 adjecitque acri permixtos dulcibus ignes  
47 illecebris, varium ne non foret illud idemque  
48 inter se adversis pugnaret partibus iisdem.  
49 Inde fit ut qui amant secum ipsi saepe volentes  
50 dissideant, et mox diversa prioribus optent.  
51 Nec paene invenias quemquam multumque diuque  
52 dilexisse, licet fuerit dilectus et ipse,  
53 qui non incassum, tandem frustratus amarit.  
54 Ipsa quoque in pluris partes diducta cupido  
55 permulto sese varioque auctore tuetur.  
56 Nanque adeo quosdam turpis juvat una libido,  
57 ut nihil hac reputent homini magis esse petendum,  
58 De quis turpe loqui tam est nobis, quam facere illis  
59 obscaenum, quos et consulto praetereamus,  
60 ne quibus incipiatur maculis sordescere sermo.  
61 Sunt et quos genialis habet fertque impetus idem  
62 imprimis, sed eos ratio comitatur et ultra  
63 quam fas est non ire sinit, licet ii quoque saepe  
64 declinent iter expositum et per devia tandem  
65 praecipites latum in barathrum quandoque ferantur.  
66 Quorum ideo varios numero comprehendere mores  
67 haud facile, his aliud quoniam persuadet amando  
68 nunc animus, nunc mens aliud, quae victa subinde  
69 succumbit laxasque illi permittit habenas.  
70 Pars vero, quae nunc tamen est rarissima, solam  
71 miratur speciem, siquam natura crearat  
72 eximiam ac nostro visendam ostenderit orbi.  
73 Quos spectatores formarum dicere nemo  
74 abnuat egregios, et eosdem nolit amantes  
75 laudibus aeternum dignos praestantibus esse.  
76 Hinc aliquis miro ingenio seu condere versus  
77 praestans, seu vitam concinnus moribus omnem  
78 ducere, seu modulo virtutis qualibet uti  
79 aptus, in haec quotiens descedit ludicra, nedum  
80 horum ullam amittit, verum meliora quot horis  
81 illa, favore novo adjutus, potioraque reddit.  
82 Nec minus hinc valido praecinctus robore pectus  
83 ipse etiam interdum vires sibi sumit amator.  
84 Quae quoniam in multis te jam legisse putamus,  
85 nunc ne prisorum per trita exempla moratus  
86 detineam, quae plura patent quaerentibus, audi  
87 quae tuus hic nuper reverendus avunculus usque  
88 orbis ad extremum terrarum, rettulit illuc  
89 vidisse, egregiam dum operam navaret honeste  
90 Pontifici Xisto, quam nunc et pluribus annis,  
91 alterius Summi Patris ut pia jussa facessat,  
92 in Venetis bene cultus agit et gratus utrimque.  
93 Hic ergo, ut quandoque solet cum seria ponit,

94 comiter hoc nobis narrare occoepit amantis  
95 mirandum facinus, cui, dum se jactat amicae  
96 omnia facturum quae jusserit, illa repente  
97 jusserrat ut caeso ternum caput hoste referret.  
98 Hunc itaque ex illo confisum aiebat amoris  
99 viribus ivisse et medio certamine quemque  
100 praevalidum fortemque lacesse protinus ausum  
101 tris leto juvenes valido mox ense dedisse  
102 ternaque, spectaculum horrendum, madida ora recenti  
103 sanguine adhuc turpique simul squallore pudicos  
104 ante pedes uno religata in fasce tulisse.  
105 Haec ille. Atqui nil aliud movisse videtur  
106 fortiter ut faceret adeo studiosus amator,  
107 quam dominae species et quae persederat illi  
108 semper et ante oculos obversabatur imago.  
109 Quod si unquam talis te forte affectus habebit,  
110 nam petit ingenio praestantem et moribus, hic tu  
111 virtutem imprimis omni venerabere cultu,  
112 divinae specimen dehinc contemplabere formae,  
113 siqua erit e superis ad nos delapsa venustis,  
114 quae tibi perpetuo succensum lumine pectus  
115 excitet et vitiis alienum vendicet una.

IOANNI ARAGONIO HISPANIARUM PRINCIPI NOMINE NICOLAI FRANCHI PONTIFICIS TARVISINI

S2\_08 v.1 Princeps Hesperiae, genus alto a sanguine regum,  
2 quod placuere tibi parvi praeludia vatis  
3 prima tui, hoc summas agimus pro munere grates ;  
4 nam neque grata magis nobis nec dignior ulla  
5 res umquam fuerit, quam quae tibi grata vicissim  
6 esse potest eademque legi tibi digna videtur.  
7 Hinc iterum accedit tua me percepta voluptas  
8 vinclaque, quae laetum quondam junxere beatis  
9 officiis, cogunt sanctos ut fontibus haustus  
10 Aoniis ausim longo tentare recessu.  
11 Et jam divini laticis commota favore  
12 pandere, quae dudum secum mens augurat, ardet.  
13 Multa tuae pree se nituntur ferre benignam  
14 fortunae speciem, seu quis praegrandia regni  
15 commoda, quae nullis cedunt felicibus oris,  
16 secum animo volvat, seu te fore regibus unum  
17 haeredem tantis, quo spes et cura parentum  
18 versa omnis staret, seu jam perpendat amorem  
19 immensum populorum et amicae debita gentis  
20 praemia, quae passim grata tibi mente feruntur.  
21 Quae licet egregio et constanti cuncta tenore  
22 proveniant et te mortali demere coetu  
23 Sola queant nulloque egeant aliunde potenti  
24 auxilio, tamen his non inferiore putandum est  
25 esse loco sacra quod praeditus indole celos  
26 jam prope regali referas virtute parentes,  
27 quis neque vi belli quisquam nec munere pacis  
28 antetulit gressus umquam sanctaque verendum

29 religione magis Numen colit atque salubri  
30 caelicolas omnis veneratur lege beatos.  
31 Unde valent facili mortales noscere sensu  
32 illis imperium deberi grandius, ex quo  
33 non homines quisquam melius nec Numina servat.  
34 Ergo age et accessus hujus quoque, maxime princeps,  
35 macte tua virtute, simul virtute tuorum  
36 Te dignum praesta haeredem, nam maxima culti  
37 pars tibi debetur quondam quae pareat orbis.

#### IMMINENTIUM TEMPORUM QUERELA

S2\_09 v.1 Qui motus animorum aut quae haec conamina ? Quorsum  
2 undeve praecipitat tantus furor omnia late  
3 horrendum in facinus misceri et ducere secum  
4 exiguo in spatio permixtum ignobile vulgus  
5 principibus rerum quibus est permissa potestas ?  
6 Ipse ego, qui risu condire et spargere cuncta  
7 jam soleo, nunc a lacrimis vix temporo, namque  
8 majore haud umquam vexata turbine verti  
9 res hominum sensit quae proxima prodiit aetas.  
10 Nonne vides ut nos subito circunvenit atra  
11 tempestas, ferit ex alto nam comminus atrox  
12 ira deum dirusque furit manifestius ignis  
13 et fatalis ovans cervicibus imminet ensis ?  
14 Heu male quam miseris fuerit mortalibus actum,  
15 jam quibus innumerae mortes et bella parantur,  
16 non habitura modum prius ac miseranda animantium  
17 ingenti de clade manus vix parva supersit !  
18 Heus quos, infelix genus, inclinamus ad annos !  
19 Sed quid inexpeltae voces lamentaque tanta  
20 profuerint, si fata jubent et sidera monstrant  
21 exitium infandum et nulli exsuperabile monstrum,  
22 sive inferna virum coetus Bellona fatiget,  
23 horrenda Eumenidum soror et Discordia vexet,  
24 vel pater ipse acuat bellorum in proelia Mavors ?  
25 Ut varia et solitae prorsus sententia dispar  
26 insedit nobis, quos tot servata per annos  
27 alma quies dulci dudum sub pace fovebat !  
28 In manibus ferrum, nemo non proelia jam nunc  
29 exercet meditans secum, nec respicit atram  
30 post cladem, quae dira fames, quae lurida pestis,  
31 et quae praecipi sequitur violentia passu.  
32 Non ita praeteritis vitam produximus annis,  
33 haec aberant et tanta diu clementia caeli  
34 praefuerat rebus, terris ut cuncta vigerent :  
35 quin artes crevere bonae, nec defuit ulli  
36 quo quantum vellet posset perdiscere tantum.  
37 Hic placidis morum tot cultus urbibus exstant  
38 et tanta agricolis agris cultura colendis ;  
39 hinc illa accessit librum numerosa facultas  
40 et miranda viris rerum solertia venit.  
41 Post haec quin etiam quaedam rediere minora,  
42 sed grata et multis hominum oblectantia mentes,

43 ut quae marmoribus vivos imitantia vultus  
44 aere vel, aut liquido simulant quae cuncta colore,  
45 quaeve sonis mire mulcent et cantibus aures,  
46 et quae perpetuis renovant ornatibus urbes,  
47 artificumque manus variae quae molliter addunt  
48 aut ebori argentove decus, quin multus in auro  
49 jam labor, ut sese multo pretiosius exstet,  
50 et nova nativis superaddita gratia gemmis.  
51 Scilicet illa potens aetas jam prisca redire  
52 cooperat, astrorum volvendis cursibus acta ;  
53 nunc eadem retro citius sublapsa refertur  
54 quam nova tantarum rerum primordia poscant.  
55 Implacidum sidus nobis hoc vulnus inurit :  
56 sed si causa manet caelo, non illa subire  
57 vim fati subigit quemquam, nec diva voluntas  
58 servili nisi sponte jugo dat libera colla.  
59 Nos igitur quaecumque parent, quaecumque minentur  
60 sidera, prudentes non evitare nequimus.  
61 Sunt ea, ni fallor, quae impendent, dira nec ulli  
62 non gravia et variis non inconnexa periclis,  
63 sed vitanda tamen, possunt ea quippe minora  
64 redi, si contra divinitus addita nobis  
65 mens erit et fato rerum prudentia major.

AD ANDREAM TRIVISANUM PONTIFICEM FELTRIENSEM  
COMMENDATIO EDENDORUM SERMONUM

S2\_10 v.1 Alterius quisquis natos sibi stirpis adoptat  
2 hos amat utque suos prudens alit, et tamen intra  
3 innatum propriae sobolis praeservat amorem.  
4 At qui fecunda prolem de conjuge sumit,  
5 omnibus miro praefert conamine rebus  
6 atque adeo interdum potiorem se putat ipso,  
7 negligat ut variae vitare pericula sortis.  
8 Sic ego sermones tamquam mihi pignora mente  
9 eductos alitosque pari virtute paravi,  
10 pro quibus ut jam quid valeat fortuna necesse est  
11 experiar subeamque parens cum fetibus una  
12 judicia exemplo mihi formidata vetusto.  
13 Namque ut difficiili gliscit sub matre puella  
14 spectari juvenum turmis incauta pavensque,  
15 sic nostri, haud justa cauti formidine forsan,  
16 evolvi docto cupiunt lectore libelli.  
17 Atqui alvi hos intra sedati limina tecti  
18 et compsi monique palam ne forte venirent  
19 incompti aut maculis contacti prorsus ab ullis.  
20 Propterea aestatem jam nonam visere pergunt,  
21 ex quo non facili parvoque labore paratos  
22 admoneo assistens prope sedulus, et gravis hortor  
23 ne sibi tam placeant, quin recti judicis ante  
24 explorent aures, quales qui Pallados arte,  
25 ut tu, vaniloquis purgatas sordibus explet.  
26 Edendos tamen esse putant, cum tempore justo  
27 perpessi fuerintque moram limaeque laborem.

28 Quare age, jam bene diis pulchreque juvantibus oram  
29 solvimus et parvae tendentes lintea cymbae  
30 ingredimur vastum zephyris spirantibus aequor.  
31 Quod siqua in scopulos vel si vada caeca phaselus  
32 parvulus inciderit, nam passim multa vaganti  
33 offenduntur, opem tu protinus optime ferto,  
34 ingenuique bonique et docti fungere more.  
35 Tecum aderunt etiam multi mihi forsitan, ut qui  
36 naturae eximiae doctrinam adjungere curant,  
37 jam docti atque boni venerandum nomen adepti.  
38 Unde rati quotiens nostrae spiraverit aura,  
39 illa graves totiens felix vitaverit aestus.  
40 Haec tibi, frondosa cessans sub rupe, canebam  
41 Montelli nympharum avido gaudentis amore,  
42 postquam Naiadum decus huc Bellona recessit  
43 subriguitque, Silim fugiens e fontibus amnem  
44 occultis, quibus hic longis ambagibus errat  
45 subter humum atque iterum sub lucem limpidus exit.  
46 Namque ferunt illam, simul ac est versa deorum  
47 nutibus in collem pro virginitate virentem,  
48 innumerum circa numerum venisse dearum.  
49 Floribus huc redimita caput sertisque Napaea,  
50 glandifera Dryas huc incingens tempora queru,  
51 et summo residens in vertice montis Oreas,  
52 Nais item propter labentem proxima lymphan,  
53 una omnes vertere gradum, quibus addita venit  
54 fontibus atque antris gaudens et montibus Echo.  
55 Sed nulla potiore agitant in parte faventes,  
56 quam qua frugiferis Marcelli in collibus errant  
57 observantque loci dominum, qui plurima cultu  
58 contulerit speciosa suo nec prodita tantum  
59 sponte pia telluris iners adamaverit, et quo  
60 jam Nymphis digno Nymphae sunt praeside dignae.

ALBERTO VONICO, TARVISINO EQUITI ET IURECONSULTO

S2\_11 v.1 Ut noris quae forte mihi, Vonice, videnda  
2 contigerint, positis rebus paulisper agendis,  
3 audi quae poterunt forsan tibi vana videri,  
4 si reputes, sed vera tamen nec somnia credas,  
5 ut sapiens qui multa vides, velamine moto  
6 quod circumpositum sic caligantibus obstat  
7 saepe oculis ut vix paulum discernere possint  
8 discrimin rerum obscurum. Sed pergit, Musae,  
9 vestrum opus hoc, paucis hominum nunc visa canamus.  
10 Transieram medium sub iter jam mille feroci  
11 ipse animo horrendis perpessus monstra periclis,  
12 cum me difficilis cuperunt taedia vitae.  
13 Et jam terga locis vertebam fessus inquis,  
14 Numina ni tanti movissent sancta labores.  
15 Nam quis tot vastas potuisset repere rupes  
16 vi sine caelesti, silvasque et lustra ferarum  
17 fluminaque abscissas inter currentia valles  
18 transisset vita incolumi tutusque malorum ?

19 Sed fesso auxilium Deus attulit, et mihi certus  
20 continuo illuxit puro sub lumine callis,  
21 cum prius offerrent sese quocumque tenebrae.  
22 Principio avulsum magno de corpore saxum  
23 et contra arrectum praerupta mole subibam,  
24 qua tenuis tantum venienti rima patescit,  
25 et qua nec radios profert nec lumina Phoebus.  
26 Errabam in caecis tenebris et nocte profunda,  
27 donec, saepe gravi passu loca tetra remensus,  
28 illic, unde brevis mihi se lux obtulit, haesi.  
29 Hic vero primum subsedi fessus et ante  
30 prospectans circumque oculos per singula volvens  
31 extimui retroque pedem tum forte tulisse,   
32 sed me ne facerem tenuit qui rupe cadebat  
33 exiguis humor guttis acremque levare  
34 Ipse sitim admonuit siccis quae faucibus olim  
35 haeserat, et nusquam suasit desistere coepitis.  
36 Sic ego, jam modica requie parvisque refectus  
37 haustibus, inceptum, qua callis pervius exstat,  
38 ire iter instituens, iterum sub luce maligna,  
39 convallem obscuram nebulis pluviisque madentem  
40 ingredior, quaecumque pati graviora paratus.  
41 Atque hic, lenta solo putri vestigia figens,  
42 undenos quater ipse dies cum noctibus egi.  
43 Jamque viae ad summum tandem venisse videbar,  
44 cum mihi se penitus oculis lux abstulit omnis.  
45 Quid facerem ? Vel qua tantis proferrer in umbris ?  
46 Aut quo me solita retro sine luce referrem ?  
47 Nec tibi quae interea transmissa fluenta lacusque  
48 evasi, refero, aut mediis quam saepe sub undis  
49 me me habui colloque tenus latera ipsa subegi.  
50 Quae non vota deis, seu quas non mittere voces  
51 sustinui ? Quaeve ipse animo non justa peregri ?  
52 Tum mihi visa preces inter discindier ingens  
53 cum tonitru nubes purumque per aethera ferri  
54 accelerans, et lux terris placidissima reddi.  
55 Ac vallem interea jam praetergressus opacam  
56 exieram altos in campos lateque patentes.  
57 Atque hic diversis maculis inspersa per omne  
58 corpus ovis, varioque micans tum forte colore  
59 quaerebat tenuem lanae candardis amictum  
60 sedula propter aquam vitreis ubi rivulus amnem  
61 praeterit immensum lymphis et florea circum  
62 arva sonans scatebris leni cum murmure fertur.  
63 Hanc ego, perfectis votis, ut proxima vidi  
64 gramina carpentem nitidique ad fluminis undam  
65 siccantem vellus, fluvio quod merserat ante,  
66 continuo obstupui miro succensus amore  
67 sectari pecus egregium, quo tendere gressus  
68 inde videretur vel qua se verteret usquam.  
69 Haec ita perpendens stabili dum mente voluto  
70 et recta jam tendo gradus avidusque propinquuo,  
71 illa, solo teneris alta cervice relictis  
72 floribus, ibat ovans contra meque ipsa patebat.  
73 Ac veluti novisset herum mihi protinus ultro  
74 blandiri et gremio sese dare et aurea saepe

75 cornua, saepe unguis ostendere versicolorque  
76 motare interdum varium latus et mihi prorsus  
77 sola uni tantis opibus gestire colenti.  
78 Ast ego quam poteram magno veneratus honore  
79 accipio hanc blandaque foveas deduco sub antrum,  
80 excisum quod forte cava de rupe patebat  
81 obductum viridi musco spissisque corymbis.  
82 Deinde, toro lectis foliis et fronde recenti  
83 substrato, liquidos fontes et laeta ministro  
84 pabula, et huic paribus studiis certare labore.  
85 Hic illa, exuvias positis, nova vellera primum  
86 induit et vicibus tot eas mutata resumit,  
87 quot trahit adverso solis splendore colores  
88 Iris, ubi terris caelo incurvata recumbit ;  
89 aut quot saepe levi motu variata videmus  
90 colla referre avium, quas Juno, jungere curru  
91 ante alias omnes volucres dignata, superbis  
92 centum Argi voluit praetexere lumina pennis.  
93 Bissenos menses ita se variantibus illis  
94 praeterii, cum jam niveo candore viderem  
95 omnia conspergi et laeto mihi pectus inibat  
96 pertentare pavor simul et pertundere cura.  
97 Contemplabar enim quo dives vertere vellus  
98 cooperat et mihi non parvum rabida ora timorem  
99 intulerant animo, quae vix arcere cubili  
100 Nostra vigil poterat custodia, sive luporum  
101 ingluvies erat aut rabies pellenda leonum,  
102 et quos invidia exagitat vesana timebam.  
103 Sed metus ille tamen vanus neque vis mihi obesse  
104 amplius ulla virum poterat, non ulla ferarum.  
105 Vescebatur ovis passim florentibus herbis  
106 apricos vaga per campos, ubi nulla perennes  
107 urit hiems glacie segetes aut solibus aestas,  
108 temperies illis tanta est et gratia caeli.  
109 At grato quondam victu mihi mitia poma  
110 praebebat ramis feta incurvantibus arbos  
111 semper, et irrigui complebant pocula fontes.  
112 Alter et interea circum se volverat annus  
113 instabatque dies promissi muneris, ut jam  
114 sperarem redditum longo post tempore laetus  
115 in patriam et tanto finem prope adesse labori,  
116 ignarus quod erant mihi sex obeunte calore  
117 servandi atque etiam totidem sub frigore menses.  
118 Nam quae marmoreo subcrescens alba colore  
119 jam candens ebur et nitidos superabat olores,  
120 nescio quem in croceum sensim conversa ruborem  
121 tendebat Tyrio paulatim murice pingi.  
122 Ut vidi, tum majus opus, tunc aurea terga,  
123 speravi atque operi tanto praeferre laborem  
124 haud ullum passus pariterque impendere tempus  
125 omne illi instituens, iterum melioribus ipse  
126 auspiciis tantas accingor vincere moles.  
127 Donec, concessi perfecto temporis orbe,  
128 candida purpureum referebant cuncta colorem,  
129 et de purpureo subitus color aureus ibat.  
130 Nec mora, continuo pecus ore et naribus aurum

131 Aurea suspirans cadit, et, grave pondus, inani  
132 corpore vellus adest pedibusque et cornibus aureis.  
133 Hic ego tum graviter casu percussus acerbo  
134 laetitiaque avidusque loco discedere, primum  
135 vota deis gratesque simul persolvo benignis ;  
136 mox humeris onus imponens ad proxima tendo  
137 litora et in patriam rediens sic, alter Iason,  
138 aurea felici devexi vellera Colcho.

AD LUCIUM MAXIMUM PATAVINUM,  
ESSE PROVOCATIONE ADVERSUM DETRACTORES : ACTIONUM, CONSCIENTIAM ;  
SCRIPTORUM, AD POSTERITATEM

S2\_12 v.1 Maxime, qui fidei plenus sic semper amicis  
2 idem ades ut praesens videare absentibus esse,  
3 eia age, ne nobis noceat mala lingua cavesne,  
4 dum longe a docta et dulci nunc absumus urbe ?  
5 Ipsa mihi, memini, puero jam baccare frontem  
6 cingebat mater, nec verba precantia divos  
7 linquebat, ne quis verbis oculove noceret.  
8 Hunc ego cum longo tenuisse tempore morem,  
9 orabam quoque caelestes, rumoribus ut me  
10 vesani vulgi expositum defendere possem.  
11 Verum ubi nec prodesse mihi pia cura parentis  
12 visa, nec illa etiam, superos quae saepe precabar,  
13 collegi meme et rationem temporis acti  
14 subduxì a primo veluti perducerer orbis  
15 principio ad summum, sub quo nunc degimus, aevum ;  
16 illic aetatis vitium cujusque dolentis  
17 de sese offendi, nihil et sine crimine sub se  
18 ponentis neque laudantis nisi quod foret annis  
19 praeteritis ortum. Divinos saepe poetas  
20 ludibrio hinc populis factos, dum ducere vitam  
21 contigit, inveni nec non et sancta professos  
22 dogmata, qui sophiae gaudent cognomine, passim  
23 ante obitum spretos. Dirus sic omnia livor  
24 impedit et morsu dentis male conficit atri.  
25 Quae cum saepe animo volvissem, cuncta protervae  
26 esse haec fortunae, nec obi id metuenda videri,  
27 sed risu spargenda et contemnenda putavi.  
28 Id tu etiam, si forte aliquis mea carmina, vel si,  
29 quod vellem minus, optaret mihi carpere mores,  
30 tecum agita et simili tibimet succurre medela  
31 atque mihi, neque enim potis est compescere quisque  
32 invidiae stimulos, cum sentit maxima vivis  
33 attribui, quaeve ipse nequit praestare reposta  
34 alterius sub mente videt majoraque semper  
35 haec fieri, ut sensim ulterius procedere tempus  
36 inspicit et medio in spatio dolet ipse relinquì.  
37 Siquando objectet quisquam mihi turpia factu,  
38 continuo mentem appello, quae conscientia veri  
39 ipsa tibi, partes delecti judicis aequas  
40 arroget atque palam subito quod senserit, edat.  
41 Factorum certus mens est sibi conscientia judex.

42 At si quis quos forte jocos et seria versu  
43 connecto exagitet, ad sanctam posteritatem  
44 provoco, quae nulla invidia nulloque malignae  
45 mentis inardescet vitio, verum, omnia recto  
46 judicio expendens, numquam fecisse minoris  
47 ista volent quam sint. At fors majora putabit  
48 haec eadem, ut se post in longum proferet, aetas.

Le texte édité ici a pour base celui, numérisé, proposé par « Poeti d'Italia » et « Perseus Collection », que nous avons dû, pour le rendre scandable, revoir et corriger abondamment grâce aux excellents fac-similés de l'édition Aldine de 1505 donnés par le site « Camena » de l'Université de Mannheim.

**VENETIIS IN AEDIBVS ALDI  
MENSE APRILI. M.D.V.**